



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita S. Bvrchardi Episcopi Herbipolensis: Ex ea quæ est per Egiluardum monachum cœnobij sancti Burchardi, proè Herbipolim. Consecratus est Episcopus à Zacharia Papa, Sedit annis 40. Obijt anno ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

runt'. Hodie autem vnus missus est, qui dixit: Reducite eum, quia Fortunatus Episcopus in domum eius venit. Quibus verbis expletis, mox ex infirmitate conualuit, & in hac vita diutiùs mansit.

VITA S. BURCHARDI EPISCOPI

*Herbipolensis: Ex ea qua est per Egiluardum monachum cœnobij sancti Burchardi, prohb Herbipolim. Consecratus est Episcopus à Zacharia Papa. Sedit annis 40. Obijt anno Domini 791.*

*Telle G. Baron in Not. ad Martyr. Roman. Vide & Tomo 9. Anal. 14. Octob.*

*Præclarum genus S. Burchardi.*

*Traditur liber.*

*Omnia relinquit propter Christum.*

**D**VM nouella Anglorum Ecclesia Gregorij Pontificis studijs meritisque geminare inciperet, eadem in insula nobilissimi Burchardi parentes mirifice quoque efflorebant. Qui animi magnitudine & ingenij fœlicitate præcellens, præcellens suæ prosapiæ genealogiam haudquaquam passus est morum suorum nebulis obscurari. Cum enim à religiosis parentibus literarum studijs imbuendus fuisset traditus, puerilibus leuitatibus excelso & virili planè animo reiectis, carnalis illecebris per assidua orationis & vigiliarum studia calcatis, breui ad tãtam mortuam honestatem adoleuit, vt nihil in se caducum nihil terrenum habere videretur. Cum verò pes & delicias patriæ, magno sibi ad vitæ perfectionem impedimento esse cerneret, spreto generis claritate, cunctisque fumantis mundi nebulis spiritu consilij & fortitudinis ab animo depulsis, relicto natali solo, periculoso mari fluctus transfretauit, atque in Gallijs all-

quandiu sub peregrini habitu, futuram inqui-  
rens patriam delituit.

Ijs temporibus VVinfridus Angliæ indige-  
na, bonis ex factis suis mutato nomine p Gre-  
gorium Papam Bonifacius nūcupatus, legatus  
Apostolicus in partes Germaniæ destinatus,  
nobilisque Moguntia metropolitanae Archie-  
piscopus, egregijs & admirandis planè virtu-  
tum fulgebat meritis. Ad quem Burchardus sa-  
cerdotio iam initiatus vt accessit, non modo  
peramanter ab eo exceptus, & benignè habitus  
fuit: sed & Romam pariter, propter vitæ san-  
ctitatem, morumque, qui in eo candidissimo  
re lucebant, splendorem, perductus: ibidem  
que à S. Pontifice Herbipolensis consecratus  
antistes, vt Orientales Francos & vitæ suæ in-  
tegritate & Christiana facundia ad Christum  
conuerteret.

*Venit ad S.  
Bonifacium  
Apostolum  
Germanorū,  
cuius vita  
habetur 14.  
Maij.*

*Constituitur  
Episcopus  
Herbipolen-  
sis.*

Qui vbi se speculatorem domus Israel in  
Ecclesiæ turri positum conspexit, sedula cor-  
dis anxietate cœpit meditari, qualiter sibi cō-  
missas Dominicas oves verbo Dei pasceret, &  
in omni fidelis prudentisq; dispensatoris cura  
tam se q̄ Christi familiam regeret. Itaque elo-  
quio valdè mitis, vultu venerabūdus & affabi-  
lis, in vigilijs & sacris lectionib. assidius in e-  
leemosynis benignus, prouidus in cōsilijs, mo-  
ribusq; compositus, creditas sibi oves sollicitè  
pauit, cunctosq; sua humilitate ad egregia pie-  
tatis officia deduxit. Pastoralis eius virga non  
auro vel argento erat decorata, sed sambucea:  
quæ in loco sepulturæ ad humilitatis eius me-  
moriæ etiamnum asseruatur.

*Virtutes e-  
ius eximia.*

*Optimè præ-  
est suis.*

Porro idem vir Dei anno ordinationis suæ  
P 4 secun-

*Eleuat reli-  
quias SS. Ki-  
liani & so-  
ciorum eius,  
ad quas &  
monasteriū  
construit: eo-  
rum vita ha-  
betur 8. Jul.*

*Vacat affi-  
ne & contē-  
platiue vite.*

*Obdormit in  
Domino.*

*\* Virce-  
burgum.*

*Locus sepul-  
ture eius.*

*Miracula  
ad sepulchrū  
eius.*

*Teste C. Ba-  
ron in Not.  
ad Martyr.  
Roman.*

secūdo, beatorum Martyrum Kiliani & sociorum eius venerandas reliquias miraculis illic claras cum maximo Cleri plebisque tripudio de terrę puluere leuauit, sericisque reuerenter inuolutas, cum summo, vt decebat, honore in feretro composuit, & monasterium eodem in loco sepulturę construxit. Sed &, vt actiue vitę sollicitudinibus turbatus, deindē ad pedes Iesu refugium haberet, construxit in arcto procliui montis & allapsu Mœni fluminis, cœnobium in honorē Dēi genitricis & S. Andree Apostoli, quod prædiorum quantitate ad victum vestitumque; duodecim Fratrum Canoniorum, Deo ibidem militantium, necessaria liberaliter dotauit. Quibus virtutum insignibus cum apud homines & Deum maximē clarus, annos quadraginta pondus diei & ætus in vinea Domini Sabaoth strenuē portasset, ac sibi Megingaudum virum pientissimum substituisset, tandem in castello, quod Hohenburg dicitur, Dominicis præmonitus sacramentis foeliciter migravit ad Christum: Indē verō omni veneratione, confluentibus vndique fidelium turmis, vnicē dilecti patris decessum lamērantibus, in ciuitatem sedis suę \* Herbipolim delatus, in Monasterio beatorum martyrum Kiliani sociorumque eius, iuxta eorum sacras reliquias conditus est: præclaris sanitarum miraculis admodum ibidem celebris.

VITA VENERABILIS DOMINICI  
Loricati: Ex ea quę est per Petrum Damiani  
ad Alexandrum Papam. Floruit circa annum  
Domini millesimum quinquagesimum.

DOMI-